D. CAROLUS GOTTLOB KÜHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOL. P. O.

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XI. FEBRUAR. MENS. A. R. S. CIƆIƆCCCXXV

IN

AUDITORIO IURIDICO

CELEBRANDAM

INDICIT.

De medicinae militaris apud veteres Graecos Romanosque conditione.

III.

Nuper, cum de vestigiis medicorum militarium apud Xenophontem exponerem, in quaestionem de loco incidi, quo vulnerati milites a medicis erant tractandi. Et quidem antiquissimo aevo non in unum eundemque locum cogebantur, quicunque paulo gravius sauciati erant, sed quisque se ad castra recipiebat, ibique vulneris curationem in tentorio suo aut sua ipsius manu suscipiebat, aut si illius gravitas artis opem efflagitaret, chirurgum in auxilium vocabat. Quam quidem consuetudinem Homeri temporibus obtinuisse, probant vel illa loca, quae primo de hoc argumento specimine attuli, ut de aliis taceam. Duravit autem idem mos usque ad imperatorum Romanorum tempora. Nam qui ad Germanici, Tiberii, Traianique exempla provocant, ut valetudinaria tunc in usu fuisse probent, scriptorum loca, unde suae sententiae fundamentum repetunt, aut plane non, aut fugitivo tantum oculo inspexerunt [1]). Etenim Velleii Paterculi

1) Inter hos haud temere Illustr. Graeffium (*Die Waffenbahre* p. 13.) retulerim. Caesaris enim *de bello gall.* III. c. 78. locus, quo de vulneratis militibus, aut ex acie auferendis, aut inter ruricolas locupletiores distribuendis, ut ibi melius, quam in ca-

locus, qui e libri II. c. 114. adducitur, de imbecillis, qui ob itineris molestias viribus deficiebant, agit, *quorum salus ac valetudo Caesaris cura ita sustentata fuerit, tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret.* Hisce, etiamsi non vulneratis, cum desiderarent, paratum erat iunctum vehiculum, nec lecticae adeo Caesaris usus denegabatur: his cibi ad reparandas vires apti offerebantur: his denique balneorum usum, e castris alias proscriptum, concessit. Neque vero alter PLINII locus, e *Panegyr. in Traian.* c. 13. laudatus, aptior est ad probandam sententiam, imperatorem illum valetudinaria visitasse militaria. Laudat scilicet PLINIUS Traianum, quod militibus fessis solatium, aegris opem tulerit: non ipsi moris fuisse, sua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasset, nec requiem corpori, nisi post omnes dedisse. Vnus TACITI (*annal.* I. c. 71.) locus ad curam pertinet, quam militibus, e proelio commisso vulneratis, Germanicus dicavit: nam ipsum narrat, ut cladis Varianae memoriam etiam comitate leniret, circumivisse saucios, facta singulorum extulisse, vulnera intuitum, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura sibique et proelio firmasse. E quo TACITI loco luculenter patet, milites vulneratos in illa Germanici contra Germanos suscepta expeditione, quae anno V. C. DCCLXVIII. a Chr. nat. XV. locum habebat, nondum vale-

---

stris licebat, curarentur, actum esse contendit, ne extat quidem, cum liber ille non nisi XXIX constet capitibus, nec in toto libro vel levissimum rei, quae probanda erat, vestigium occurrat.

tudinariis fuisse exceptos atque curatos. Nam verbo *circumire* aperte indicari mihi videtur, in diversis locis aegrotos commoratos fuisse.

Quae cum ita sint, extra omnem dubitationem positum esse videtur, hisce temporibus vulneratos milites in tentoriis decubuisse suis. Si vero castra moverentur, vulnerumque gravitas impediret, quominus aegroti excercitum sequi possent, in vicinos pagos urbesque distribuebantur, ut melius ab hospitibus curarentur. Hoc fecit Cyrus, cum Cadusianos milites, quos illorum dux, inscio Cyro, Babyloniam terram vastare iusserat, in fugam ab Assyriorum rege conversos, multosque vulneratos comspexisset: *Κῦρος δὲ ὡς ᾔσθετο τὸ γεγονὸς, ὑπήντα τε τοῖς Καδουσίοις, καὶ ὅντινα ἴδοι τετρωμένον ἀναλαμβάνων τοῦτον μὲν ὡς Γαδάταν ἔπεμπεν, ὡς θεραπεύοιτο.* XENOPH. *Cyrop.* V. c. 4. §. 17. Et Veienti bello, quod ante Chr. N. CCCCLXXVIII. anno exarserat, M. Fabius Consul, Q. Fabii, tertio anno ante consulatu functi, et in proelio illo interfecti, frater, *haud immemor ejus, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis, saucios milites curandos divisit Patribus: Fabiis plurimi dati, nec alibi maiori cura habiti sunt.* LIV. II. c. 47. Qui quidem mos usque ad Hadriani et Alexandri Severi tempora obtinuit. Illum enim SPARTIANUS c. 10. narrat, aegros milites in hospitiis vidisse suis, hunc autem LAMPRIDIUS c. 47. testatur, aegrotantes per tentoria militum visitasse et carpentis vexisse, et rebus necessariis omnibus adiuvisse; et si forte gravius laborassent, eos per civitates

agrosque patribus familias honestioribus [2]), et sanctoribus matronis *distribuebat, reddens impendia, quae fecissent, sive convaluissent illi, sive periissent.*

Quo autem tempore nosocomia militaria primum instituta fuerint, difficilis solutu quaestio esse videtur. Loca enim, quibus plures aegroti simul decumbere et a medicis curari poterant, nostris nosodochiis similia, antiquitus ignorabantur. Hier. enim *Mercuriali* (*Var. Lectt.* lib. I. c. 13. p. 39) assentiri haud possum, dum e Strabon. *geogr.* lib. VIII. probare cupit templa Aesculapii, quae in Epidauro, insula Co et Triccae celebratissima erant, talia instituta, certe similia praebuisse, in quibus quippe magna aegrotorum multitudo nutrita et ab Aesculapii sacerdotibus curata sit. Equidem potius in illis templis, sive potius in habitationibus sacerdotum cubiculum peculiare fuisse arbitror, quo unus alterque excipiebatur, qui ab Aesculapio morbi sanationem exspectabant, eiusque saepius medica sacerdotum scientia, quae ipsis a gentis suae parente quasi hereditatis iure tradita, suoque ipsorum usu multum aucta erat, participes reddebantur. Non solum in hisce similibusque templis loca adaptata fuisse contendit *Mercurialis*, in quibus aegroti sanitatis recuperandae caussa aliquamdiu commorari poterant, sed medicos quoque, quibus felix medicae artis exercitium multos discipulos conciliavisset, in aedibus suis iam Hippocratis temporibus aluisse ae-

2) Recte hanc vocem inepto *hominibus* a Boeclero substitutam fuisse puto.

grotos, ut partim sub ipsorum oculis curiosius tractari possent, partim haberent discipuli, in quibus artis exercendae periculum sub magistri praesidio facere possent. Quae quidem *Mercurialis* sententia niti videtur loco HIPPOCRATIS *de medico* to. I. p. 45. ed. Lind. (to. I. p. 57. ed. Lips.) *τὰ τοίνυν ἐν ἰητρείῳ θεραπευόμενα σχεδὸν μανθανόντων ἐστίν· δεῖ δὲ πρῶτον μὲν τόπον ἔχειν τῆς οἰκείης· ἔσται δὲ τοῦτο, ἐὰν μήτε πνεῦμα εἰς αὐτὸ παραγινόμενον ἐνοχλῇ· μήθ᾽ ἥλιος ἢ αὐγὴ λυπέῃ.* E quibus verbis perspicuum esse puto, libelli huius auctorem non de nosodochio, in aedibus medici aperto, sed de chirurgi officina exponere, in quam conveniant, quicunque eius auxilio opus habent, sive vulnus recens deligandum, sive cucurbitulae applicandae, sive abscessus aperiendus, sive ulcera tractanda, sive denique tela extrahenda sint. De his enim solis exponitur.

Duae nobis supersunt castrorum Romanorum descriptiones, quarum una *Polybio*, qui secundo ante Chr. nat. seculo exeunte floruit, altera *Hygino*, gromatico dicto, debetur, cuius aetas in Traiani et Hadriani tempora incidit. Ille autem, quamvis diligenter castrorum rationem, qualis sua aetate apud Romanos fuerit, libr. VI. c. 27 — 31. descripserit, tamen nihil omnino de loco peculiari castrorum praecipit, qui vulneratis aliave e caussa aegrotantibus militibus esset destinatus. Describit quidem cap. 31. amplum spatium, inter vallum atque tentoria interiacens, in quo valetudinarium poterat locum invenire suum, cum addat, locum illum vacuum multis iisque insignibus commoditatibus inservire. Sed in enumera-

tione commodorum, quae locus ille praebeat, valetudinarii, ibidem collocandi, nulla mentio iniecta est. Quamobrem iure meritoque statuere mihi videor, Polybii aevo nondum vulneratos milites coniunctim uno eodemque loco a medicis curatos fuisse, sed quemlibet aegrotum suo tentorio decubuisse. Primus, qui valetudinarium castrense commemoravit, est, quantum equidem scio, Hyginus, cuius paulo ante mentionem feci, in libro *de castrametatione*, qui a Ratboldo Herm. Schelio e codice haud dubie antiquo editus, et commentario erudito illustratus est [3]). In quo quidem libro, haud longe ab initio, valetudinario ibi locus adsignatus est, ubi Polybius intra vallum atque primum tentoriorum ordinem spatium quaquaversum pedum ducentorum vacuum relictum fuisse tradidit, ad multas res utilissimum, quippe quod militibus, cum aut in aciem educendi essent, aut iter suscipi deberet, ordinandis, aut praedae tuto adservandae inservire posset. Hoc ipsum vacuum spatium Hygini tempore valetudinarium, veterinarium et fabrica occupabat. Locum autem Hygini ipsum, obscurum illum, et non omnino sanum, quo minus hodie in medium proferam et, num fortasse aliquid ad eius sive illustrationem, sive sanationem conferre possim, tentem, impedit me solemnitas academica, cuius indicendae caussa haec pauca praefatus sum.

Scilicet gratissima et mihi longe iucundissima officii mei

---

3) Recepit hunc libellum una cum Schelii commentario Graevius in *Thes. antiqu. Roman.* to. X. p. 1014 — 1020.

parte nunc perfungendum est, qua Candidati Generosi et Doctissimi

FRIDERICI EDUARDI DE SECKENDORFF,

MEDICINAE BACCALAUREI DIGNISSIMI,

inaugurationem proximis diebus instare nuntiandum est; Candidati, qui non solum animi candore, morumque integritate omnibus, qui eum norunt, maximopere probatus, sed etiam ob artis salutaris solidiorem doctrinam, quam in omnibus, cum illo institutis, tentaminibus praeceptoribus suis exhibuit, Doctoris medicinae ac chirurgiae honoribus, si quis alius, vere dignus est, cuius vitam, hactenus transactam, quam mecum communicavit, cum Lectoribus nunc communicabo.

Natus sum pridie idus Novembres anni nonagesimi septimi seculi superioris in oppido Havre de Grace comitatus Harfordiensis, qui ad rempublicam Marylandiae pertinet, patre GUSTAVO ANTONIO DE SECKENDORF, *matre Americana* MARIA ELISABETHA, *e gente Lechleriana. Pater meus, Professor et Doctor philosophiae et aesthetices in collegio Carolino, quod floret Brunsuigae, nisi fallor — at utinam fallar! — ante annum circiter in America, quo, Europa relicta, rediit, heus! nimis matura morte mihi ereptus est. Puer anniculus in Europam traiectus, quantum memini, licet obscurae tantum infantiae meae imagines animo meo obversentur, nunc Dresdae, nunc Torgavii, nunc Hildburghausenii cum parentibus meis carissimis primos vi-*

tae annos egi. — Hildburghausenii puerilem meum animum vir dignissimus Nonne, *qui nunc scholarum est praefectus, privata institutione formare bonisque moribus imbuere studuit. Inde Burkersdorfium veni, vicum prope Weidam, ubi patruus meus* Ferdinandus Alexander, *Liber Baro* de Seckendorff, *regis Saxoniae cubicularius generosus primi ordinis nec non eques ordinis, a falcone cognominati, tam benigne tamque liberaliter me excepit, ut, praeter sanguinis vincula, quibus cum ipso sum coniunctus, multa sint, quibus me illi obstrictissimum et sentiam, et publice gratissimus profitear. Dum haec mente revolvo, alius etiam viri de me meritissimi,* Schedii, *verbi divini apud Triesnitzienses, Burckersdorfiensibus vicinos, ministri, grata animum meum subit recordatio, qui tanta cum cura ac diligentia me erudivit, ut, triennio praeterlapso, idoneus iudicarer, qui anno MDCCCXI. inter scholae Roslebensis discipulos reciperer. In hac autem schola mihi contigit, ut disciplina ac institutione optimorum praeceptorum frui possem,* Wilhelmi, *Rectoris scholae et professoris meritissimi,* Hennickii, Nitzschii, Kessleri, Contii, *b.* Zachariaei, Kesselii, *qui quanta cum fide ac sedulitate muneribus fungantur suis, meis laudibus non eget: communis enim omnium, qui illam scholam accurate cognoverunt, haec vox, hoc est iudicium. Prae ceteris autem avunculo meo, Generosissimo* de Witzleben, *Reg. Boruss. regimini a consiliis interioribus, pro praefecto rerum metallicarum, viro dignissimo, scholae illius gentilitio administratori, summopere me ob-*

strictum esse sentio, qui non solum, dum ibidem degerem, sed serius etiam Halae, quo post sexennium integrum, anno huius seculi decimo septimo, me iuris addiscendi caussa contuli, nihil omisit, quo vere paternum amorem et intimam mihi probaret amicitiam; cui quidem viro ad cineres usque colendo quot quantaque debeam beneficia, propter magnitudinem rite aestimare ac celebrare, propter multitudinem enumerare non possum! Quo quidem paterno eius favore et summa familiaritate nescio, an exoptatius quidquam atque iucundius mihi unquam contingere potuerit. Vtinam alia etiam ratione, quam grata tantumodo memoria studioque ardentissimo virtutes eius aemulandi, huic viro dignissimo pietatis meae specimina exhibere possim! — Quamdiu Halae commoratus sum, professorum celeberrimorum et meritissimorum scholas frequentavi, et philosophicas quidem b. Maassii, *iuridicas* Niemeieri, Salchowii, Dabelowii *et* Schmelzeri, *quae nomina ornatissima penitus inhaerent memoriae meae. Neque tamen a me potui impetrare, ut haec studia continuarem, cum aliorum amor summopere me alliceret. Quam ob caussam, anno integro praeterlapso, Lipsiam profectus sum, ut medicinam amplecterer, ibique a b.* Rosenmüllero, *viro Illustri, t. t. Rectore magnifico, inter cives academicos receptus, ab hoc ipso nec non ab Exp.* Bockio *anatomiae, ab Exp.* Webero, *physiologiae et anatomes comparatae, a b.* Gilberto *cheminae et physices, historiae naturalis ab Exp.* Schwaegricheno, *botanices ab Exp.* Reichenbachio, *thera-*

piae generalis et specialis ab Exp. PUCHELTO, *chirurgiae ab Exc.* KÜHNIO, *artis obstetriciae et morbos mulierum sanandi ab Illustri* JÖRGIO, *materiae medicae et nosologiae ab Exc.* HAASIO, *artis medicamina aegrotis rite praescribendi cognitionem ab Exp.* SCHWARZIO *hausi. Quibus praeceptoribus pro summis de me meritis gratias hic ago, quas possum, maximas. Anno vicesimo primo h. saec. contigit mihi, ut Gratiosus medicorum Ordo stipendium Trierianum benevole in me conferret, quo quidem beneficio nunquam obliviscendo summopere me adiutum esse publice profiteor. Huius ipsius anni mense Decembri, venia impetrata, honores Baccalaureatus observanter petii, nec votis, examine feliciter superato, excidi. Mense Martio anni XXII. huius seculi, postquam* JÖRGIUS, *sempiterna dignus memoria, in progressus meos obstetricios inquisiverat, a medica Facultate veniam impetravi, artem obstetriciam exercendi. Brevi post Herbipolin me doctrinae meae medicae augendae caussa contuli, ubi praecipue nosocomium Iulianum sub auspiciis virorum Exper.* SCHÖNLEINII *et* TEXTORIS *frequentavi, neque non clinices ambulatoriae, quae vocatur, duce Exp.* VENDIO *particeps fui. Simul mihi contigit, ut vir longe celeberrimus et meritissimus, Illustr.* D'OUTREPONT, *non solum nullum praetermitteret occasionem, qua me artis obstetriciae exercendae redderet peritiorem, sed etiam interioris familiaritatis vinculis exoptatissimis dignum iudicaret, et omni modo sinceram amicitiam mihi probaret, verbo, tot, tantisque me cumulavit beneficiis, ut, quomodo unquam satis*

gratiarum ei reddere possim, non videam. — Anno vicesimo tertio Berolinum me contuli, neque parum debeo viris doctissimis, summis ornamentis huius literarum universitatis, quorum N e u m a n n u s, B e r e n d s i u s *et* H u f e l a n d i u s *clinicen me docuerunt; in chirurgia habui praeceptores* R u s t i u m *in nosocomio caritatis, et* G r a e f f i u m. *Hinc semestri exacto Lipsiam redii, ut Illustr.* C l a r u m *audirem, cui tum pro egregia institutione, qua utendi veniam mihi fecit, tum pro summa benevolentia et liberalitate, qua me ornavit, plurimum me debere publice profiteor! Perinde Exp.* W e n d l e r o *et* K u h l i o *gratias ago debitas, qui disciplina sua atque eruditione non parum mihi profuerunt. Ita instructus pridie Calend. Quintiles anni proxime elapsi subii examen rigorosum, ut viam ad summos honores in arte medica mihi patefacerem.*

In quo cum Ordinis nostri de Eius doctrina conceptae exspectationi omni modo satisfecisset, veniam accepit, defensa publice sub praesidio Excellentiss. et Experient. Collegae, Christ. Gotthold Eschenbachii, Facultatis medicae Senioris Gravissimi, disputatione: *Collectanea quaedam de strangulationibus intestinorum internis, adiecta nova intestini coli contorti et summopere dilatati observatione,* summos in medicina et chirurgia honores capessendi. Quam quidem veniam, quae vulgo Licentia vocatur, equidem, qui Cancellarii vicem sustineo, Candidato Meritissimo proximo

die Veneris, qui erit d. XI. mensis Februarii erit, praemissa brevi oratione dabo. Ad quam benevole audiendam TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIUSQUE REI PUPLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES AESTUMATISSIMI, ea, qua decet, observantia invito.

P. P. Dom. Sexagesim. A. R. S. cIↄIↄcccxxv.